Zawadzki Simonis: Exhortatio hierarchiae radius illustrans orbem.



ECCLESIA-
STICÆ
HIERARCHIÆ
Radius illustrans
Orbem,

DVM

Excell: ac Reueren.

DIONYSIVS
POLITOWIC,

Art: & Phil: Doctor ac Professor, Collega Minor, ad SS. Omnium Canonicus, primis Sacris operaretur

Orphei officioso obsequio concinnatus.

Et in palæstra Cynersciana

à SIMONE ZAWADZKI, Eloquen: & Phil: Stud: deuoto affectu luci publicæ d. cq.

CRACOVIÆ,
Ex Officinâ Valeriani Piatkowski,
Anno Domini. 1645.

B. DIONYSIVS AREOPAGITA.

D. Pauli discipulus, Athænarum Episcopus, Galliarum Apostolus, & Martyr inclytus, *de Ecclesiastica Hierachia cap. 8.*

VT Hierachiā omnē videmus in Iesū desinere, sic vnā quāq; in suum Pontificem. Vis autē Hierarchici ordinis, in sacris omnibus distictionibus capitur, agitq; per omnes sacros ordines, Hierarchiæ suæ mysteria. Certum est igitur Pontificum ordinem, vim perficiendi habere, ac re perficere; Sacerdotum autem illustrandi, atq; lucem afferre; ministrorum verò expiandi & secernendi: quod scilicet Pontificum ordo, non solum re perficere possit, verum etiam illustrare simul, & expiare: Sacerdotum porro ordo in se habeat coniunctam, cum illuminandi vi, mundandi etiam, expiandiq; scientiam. Nam inferiores quidē ordines, ad maiora superioraq; munera ascendere non

non possunt: ac præterea nefas ei est, hoc sibi arrogare ac sumere. Diuiniores autem ordines, vna cum suis inferiores quoque, suâ perfectione ac virtute Sanctas scientias tenent. Quoniam enim Deus ipse mentes in quibus fuerit expiat primum, deinde illustrat, illustratasque perficit, ad sui similitudinem & imitationem: rectè Sacer ordo, qui diuinis imaginibus præest, se in distinctos ordines diuidit, quo planè declarat diuinas actiones, in sacris ordinibus, constanter distincteque consistere.



ODE DIC:
PENTASTROPHOS.

QVis me pectoris impetus,
Nimborum gelidos rapit
Per tractus? penetro insolens
Vls Phæbes solidam orbitam! &
Vasti mænia mundi!
Vls axes Erymantidos
Vrsæ, per vacuum feror,
Pennis non homini datis,
Et iam non sine gaudio
Cæli sydera calco.
Cedit stella Saturnia,
Crudo lurida frigore,
Cedunt & Hyadæs graues,
Cedit Syrius igneus
Exulemq: stupescunt!
At vox quæ innumeris mihi
Ad plausus numeris sonat?

[Or-

Orpheûs pectinis arbiter
Fors cantus reserat nouos?
An crinitus Iöpas
Auratâ Cytharâ canit,
Atlas quæ docuit senex;
Ecquid tam varius labor
Lunæ, & Solis in orbita,
Flectit tempora certa!
Ingens vnde hominum genus?
Vnde tam pecudes vagæ,
Magnæ matris ab vbere
Pendent? fulmen in imbribus
Non falso vt ruat ictu?
Quid? an ludor imagine
Rerum? nominis & mei
Et Regni immemor aurei
Falsa fingo recentibus
Argumenta figuris?
O non (credite posteri),
Rerum ludor imagine:
Orpheûs maior adest! duce

Quam

Quàm quo peruia, & inuia
Repſerunt nemora olim.
Agnoſco graciles choros,
Syrenum reſonantium,
Agnoſco genialium
Aſtrorum, roſeum decus,
Perenneſq; Camænas.
O Tibi optime, Maxime,
Tibi Rex Sacer ætheris,
Tibi Rex Sacer æquoris,
Tibi Rex Sacer omnium,
Tibi ſumme Sacerdos,
Fundunt carmina conſcia,
Syrenes volucres poli:
Tu in ſummo reſidens choro,
Expias radio infimum,
Et primum, & mediũ orbem:
Illuſtras radio infimum,
Et primum & medium ambitum;
Et primum & medium, ínfimum, &
(Quæ tua alma potentia eſt)
Cunctos perficis Orbes.

Tu fons, vita, ſalus, vigor,
Tu lux, norma, decus, quies,
A te quod fluit, indeq; in
Te poſtliminio influit,
Mirando ordine rerum.
Sic punctus radios ſuper
Protendit periegeſin:
Sic à corde manant boni
In corpus generoſius
Spiritus recreantes
Vitam. Sic Hiërachia
Orbe hoc in ſpatioſo,
Orbe hoc in ſpecioſo, &
Omnis militat æther.
Sed quo Clio loquax ruis?
Res eſt Sacra; nefas loqui
Profanis labijs, niſi
Am ſanctæ àëria domo
Sint vires tibi præſto.
Quin gaude mea proſperè
Clio, & carmen amabile
Candidiſſimo amico,


Integer;

Integerrimo amico,
Feſto funde ſolenni.
Gaude quod venerabilem
Lux afflet DIONYSIVM
Dum Myſtes, placidâ, nouus
Numini litat, hoſtiâ
Ad Altare tremendum.
Ecce fulgor amabilis
Solis inſolitum micans
Orbi protulit aureo
Stupendis caput ignibus
Mirum fundere lumen.
Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet Sacræ
Dos prædiues adoreæ
Vt toti vigilent Deo
Sancti nocte dieq;
Hic vir nobilis ingeni
Politiſſimus inclyto
A candore Coloniam.
(Vnde conueniens ſibi
Geſtat nomen & omen)
Poſnen-

Posnensem studijs bonis
Finxit, atq; operæ precium
Ad auxit, memori fide;
Vt hinc fama potentior
Tangat astra polorum!
Hic vir monstra proteruiæ,
Et bruchos Academiæ,
Repressit vigilans, suam &
Ingentem vsq, fidem tenax,
Lycæo admouet almo.
Ergo illi faueant poli
Immensi arbiter optimus;
Et nobis redeant simul
Et rursus redeant simul
Sæclorum aurea secla
Cælestis venerabilem
Lux afflat DIONYSIVM
Dum Mystes placidâ, nouus
Numini litat hostiâ
Ad altare tremendum.

Ad Candidum Lectorem

Hęc mea pręcipiti, fudi quę carmina plausu,
Qui legis, ô rigidum pone supercilium.
Sacra magis, quàm compta, meus Dionysius optat,
Qui pater est voto, nomine, honore, fide.
Ad populum phaleras (procul hinc procul este prophani)
Vera est Relligio simplicitatis amans.



SVB FÆLICISS: AVSPICIIS
Clarissimi et Magn: Domini,
D. LAVRENTII SMIESZKOWIC,
Phil: ac Medicinæ Doctoris, Almæ Vniuersitatis Cracou: Vicecancellarij longè digniss, ac
R E C T O R I S
Vigilantiss.

Jeg Mcᵢ Panu Stryiewskowi